

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- | | |
|--|---|
| Pio X Pont. Max. in diem eius nominalem S. Iosephi, Commentarius VOX URBIS a. MCMX. | Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. |
| Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis. | Diarium Vaticanum. |
| De expedita discendi ratione. | Annales. — Borussici motus. — Cretensis quaestio. — Ex infima America. |
| Philosophicae disputationes Modernistam inter et Thomistam. — | Publici per orbem coetus legibus ferendis. |
| Actus voluntatis pendere immediate nequit ab actu cognitionis sensibilis. | Per orbem. |
| Paroemiae sive Adagia. — Anagyrum commoves. — Stultus stulta loquitur. | librorum recensio. (I. Lahitton - A. Farges - P. A. Gardeil - E. Tisserant - A. Masi - F. E. Gigot - E. Bodrero - J. Ude). |
| Ad Golgotham. — Saera actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta. | loci. |
| De resurrectione Christi. | Epistoiarum commercium. |
| | Aenigmata. |
| | Appendix: Arrae Gorgoniae. |

PIO X PONT. MAX.

IN DIEM EIUS NOMINALEM S. JOSEPHI, COMMENTARIUS "VOX URBIS"

A. MCMX

*URBIS VOX ego sum, Quirina proles,
annos ante decem duosque nata.
Numquam muta fui: Leonis olim
virtutes cecini diesque festos,
et Te nunc Decimum cano Piorum.
Canto; namque dies ter auspicata
Iosephi rediit, viri Mariae,
cuius grande geris piumque nomen.*

*Plaudit Roma, Pater; Tibique longum,
curis quod iacet, ominatur aevum.
Plaudunt purpureis togis amicti
Patres, Pontificum sacer Senatus;
plaudit (densa cohors in Urbe) quisquis
vestem fert amethystinam sacerdos;
plaudit nobilium phalanx virorum
et fidus vigilaxque Vaticani
custos: Helvetius Quirisque miles.
Omnis plaudit item sub axe caeli
tellus, unde ferax epistolarum
imber depluit usque gratulatum.*

*Quod si nulla tuas in orbe laudes
gens aut lingua tacet, tacere numquid
VOX URBIS poteram, latina cantrix?
Nequaquam: pereo, silere iussa.*

*Ergo Te cecini, quaterque fudi
denos Hendecasyllabos, Catullo
caros. Vive diu, supreme Pastor,
dilectus Superis Gregique sancto,
cui Tu pascua pandis a venenis
tuta, et pervia nec lupo voraci,
nec vulpi, spoliis operatae ovinis.
Instaurata Tibi videre fas sit
in Christo male firma ubique regna.
Discat Gallica gens suos tyrannos
et latas, Satana iubente, leges
eiurare, scholis Deo reclusis.
Antiquis redeat regenda Roma
Romanis; Sinaim petant Hebraei!....*

*At ne garrula sim, Pater, loquaces
trunco versiculos, Valeque dico.*

Dictante Voce Urbica scripsit
FRANC. X. REUSS.

SOCIIS ET LECTORIBUS**Commentarii Nostri humanissimis**

Proposita nostra, quae in fasciculo Ianuarii mensis enunciavimus, quanto cum favore accepta sint, litterae, adhortationes et consilia ad nos undique missa luculentissime evincunt. Animo itaque eo magis forti atque erecto in itinere pergimus, id pro certo habentes, non verbis tantum sed re tot socios et amicos — quibus amplissimas gratias publice referimus — promissis mansuros: *res autem et subnotationes sunt et laborum participatio, ad quam iterum socios omnesque, athenaeorum alumnos praesertim, quibus latina humanitas cordi est, etiam atque etiam invitamus, collegium clarorum virorum hodie proferentes, qui præmia argenteorum numismatum iuxta regulas, quas ediximus, pro meritis suo tempore attribuent.*

Quod quidem collegium constitutum est prout sequitur:

- 1) CAESAR DE ANGELIS S. I.
- 2) FR. XAV. REUSS C. SS. R.
- 3) I. I. BERTHIER O. P.
- 4) THOMAS VIGNAS S. P.
- 5) IOSEPHUS FORNARI, *a secretis*;

ad cuius domicilium (Romam, *Via del Governo Vecchio, 96*) scripta mittenda erunt.

S. R. E.

ingenio indulgere, quam erga ipsos durior, aut parum officiosus videri. Temperabo itaque austera illam dicens rationem, et molliori suscepto argumento, tyrones milites, si qui forte severitatis metu a nobis olim dilapsi sunt et in fugam coniecti, ad musarum eastram hodierno die revocare conabor. Quare aditus quosdam breves admodum et expeditos cupidæ litterarum iuventuti hodie indicare statui, per quos, si velit, propere possit ad veram doctrinæ laudem pervenire.

Duo sunt omnino, quantum ego intellego, quae cum in omni vita, tum praesertim in bonarum artium studio plurimum valere maiores nostri semper existimarent, amor nimurum et diligentia. Quorum alter animum excitat, et subiectis veluti facibus ad agendum inflamat: altera vero facit, ut id, quod eximium et laude dignum, homines magno conatu summoque labore assequantur. His quidem dueibus ad optimas disciplinas iter facile et expeditum maioribus nostris semper patuit; hanc unam illi brevem et rectissimam ad litterarum studia viam nobis tritam reliquerunt.

Putant nonnulli, et falso quidem, aetatis nostræ ingenia tardiora esse atque hebetiora, quam antiquorum fuerint. Putant effoetam iam esse naturam, et magnorum ingeniorum semina penitus interisse. At haec, si vera essent, licet utique nobis de natura gravissime conqueri, quod erga nos non parentem egisset, sed novarecam; quodque illorum mentibus ingenii florem instillasset et succum, nobis autem quisquiliis et porrigenem reservasset. Quum vero ex multis, quae hoc nostro tempore longe subtilius inventa sunt, aut quae ingeniosius quam antiquis temporibus pertractantur, facile sit intelligere, non tardiora nunc esse, quam olim fuerunt ingenia; quum insuper et plura et uberiora nobis quam illis praesto sint ad discendum subsidia, quid aliud tandem in caussa esse dicemus, nisi quod nos non eodem amore, neque eodem, quo olim, studio honestissimas disciplinas prosequamur? Et quidem incredibile ac prope immensum semper fuit sapientum in perserutanda veritate desiderium; atque adeo inexplebili sciendi cupiditate conflagravit, ut nihil tam arduum, nihil tam alte positum, ad quod eorum diligentia et industria non pervaderet. Nihil est enim, ut M. Tullius affirmat, quod studio et amore effici non possit, nihil tam arduum, tam eminens, quo amor emit non valeat.

**DE EXPEDITA DISCENDI
RATIONE**

Quum anno superiore in hisce paginis aliquid scriberem, illud, si meministis, inter alia contendebam (1) in optimis studiis lente quidem esse festinandum; nec studiosae iuventuti quicquam esse perniciosum magis, aut inimicum, quam paucissimis annis gravissimarum disciplinarum studiis immorari, quae multum et temporis et laboris omnino requirunt. Ex quo argumenti genere non defuerunt qui apud me occasionem obtrectandi arripuerint: quasi vero, proposita hac tanta studiorum difficultate, iuvenes ab suscepto eorumdem cursu retardari et magnos illos, quos ad litterarum ludos attulerant, animos despondere contingat. Quorum opinio tametsi et ratione et communi experimento refutari facile possit, quum compertissimum sit, quae obvia et unicuique exposita maxime sunt, homines ea negligere atque contemnere; ad illa vero, quae ardua et multo difficillima, eos fortiter aggredi et maiori studio et voluntate duci: malo tamen mitiori eiusmodi hominum

Quanta vero fuerit eiusmodi vis amoris, quantaque cupiditate homines sapientissimi ad optimarum artium possessionem aspiraverint, nullo sane luculentiori argumento dignosei posse crediderim, quam ut videamus diligentiam prope incredibilem, qua eosdem doctrinæ assequendae caussa usos fuisse ex annualium testimonio accepimus. Quum enim probe perciperent, inane esse

(1) Cfr. *Vox Urbis* an. XII II. x-xi

ac perridiculum illud sciendi desiderium, quod cum summa industria ac diligentia minime coniungeretur; nulla erat difficultas, nulla vis, nullum incommodum, quo ipsi ab instituto studiorum cursu retardarentur; et quominus perpetuos dies noctesque scribebant, aut sese immensis lectionibus occuparent. Quamobrem Cicerone ipse ad Atticum scribens de se ipso testatus est, incredibile esse omnino quantum scripsit die, quin etiam noctibus. Nihil enim, inquit, est somni.

At nostra aetate iuvenes, qui non labori, sed otio, non vigiliis, sed somno, non libris, sed ludis libentissime vacant, Itteras tamen se amare et in deliciis habere profitentur. Imo, quae incredibilis amentia est, quum laborem et industriam fugiant ut nihil supra, ita tamen sibi de suo ingenio blandiuntur, ut viros per quam doctos et litteratos se posse fieri sibimet stultissime persuadeant. Enimvero nobis etiamsi suadeant, ut ait Comicus, non persuadebunt. Nam quae maior excogitari potest temeritas, quam oscitante et quasi per otium id velle assequi, ad quod obtinendum eos qui clarissimi evaserunt tot labores suscepisse videmus?

At dicet aliquis: non pauci iuvenes praeceleri praeediti sunt ingenio, et memoriae vi multa pollut. Quasi vero maiores homines natura tardi atque ingenio hebetes fuerint. Quem autem unquam invenias, qui cum Pythagora, cum Platone, cum Aristotele, cum M. Tullio aliisque plurimis ad nostram usque aetatem eius disciplinae viris sit ingenii praestantia et amplitudine conferendus? Quam ergo illi sibi sapientiae laudem diu multumque laborando compararunt, hanc tu homo ingeniiosior minimo negotio, vel etiam, si Diis placet, paucissimis diebus referes? O ridicula capita! O stultitiam singularem!

* * *

Sed longius iam, quam par erat, progressi sumus. Ut finem dicendi faciam, ad vos quotquot legitis, ingenui Adolescentes, se convertit oratio mea: vos magnopere hortatur atque obsecrat. Si maiorum gloriam aemulamini, si dignitatem litteratorum hominum, quod sane praeclera vestra indole dignissimum est, praepotatis; eorum pariter in discendo ardorem, eorum labores et studium, eorum diligētiam atque industriam imitari velis remisque contendite. Breve profecto vobis atque expeditum patebit ad doctrinam iter, si eorumdem vestigiis insistere vos minime pigeat. Magnum quidem et arduum negotium suscepistis: non id infieci. Sed illud primo cogitate: nihil esse amanti difficile, nihil impervium. Volat, ut aiunt, amor, si quo aliter pervenire non possit. Deinde tantam esse sciendi voluntatem, ut omnis studiorum labor suavissimus fiat; atque etiam saepe, licet sit revera durus et diuturnus, minime tamen sentiatur.

P. LUCENSIS.

Imperare sibi maximum imperium est.

SEN., Ep. CXIII, 24.

PHILOSOPHICÆ DISPUTATIONES

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM (1)

**Actus voluntatis pendere immediate nequit
ab actu cognitionis sensibilis.**

MODERNISTA. — Mihi de rebus in ultimo nostrum colloquio inter nos disputatis plenius cogitanti intelligere prorsus videor Neo-Kantistarum, quos vocant, sententiam de primatu absoluto voluntatis, cum sensu communi atque quotidiana experientia minus cohaerere, imo penitus pugnare. Inde ab obiectionibus supersedeo, si quae forsan remanent, afferendis: quae ceterum non nisi leviores apparent, atque ex infra disputandis sane corruent, nisi potius propria natura evanescant.

Id igitur ut ratum sartumque tenemus, videlicet hominem nihil velle nisi praecognitum, ut vulgatum fert axioma, ne contendamus hominem, ubi actum quemcumque voluntatis exerit, primo insanire, deficiente intellectus seu rationis actu, etsi postmodum aliquatenus sui compos et rationalis evadat, dum nonnullas qualemcumque disquisitiones de his quae prius voluit, imo et fecit, ratio instituit.

At vero, quum duplex a vobis asseratur in homine cognitionis, alia videlicet sensibilis, alia intellectualis, edisserendum remanet quaenam ex hisce duabus ad voluntatis actum promovendum necessario requiratur. Ubi statueretur ad actum huiusmodi sufficere cognitionem sensibilem, longe facilis promptiusque Thomistas inter et ceteros, praesertim hodiernos philosophos, pax et concordia iamdiu turbata instauraretur. Quid igitur tibi de hisce statuendum videtur?

THOMISTA. — At nos Aristotelis et Aquinatis ascelae cognitionem sensibilem minime ad impellendam voluntatem per se sufficere reputamus atque enixe docemus.

Cuius sententiae momenta ac rationes haud aegre, nisi vehementer fallamur, patent. Id imprimis quam attentissime pensandum est, scilicet in homine qua homine, nullam dari cognitionem mere sensibilem, neque dari posse: quod si semel comprobatum erit, extemplo id sequetur, voluntatem non moveri cognitione mere sensibili, quae reapse in natura deest.

Rem vero ita se habere absque negotio patet. Intellectus quippe dum excitatur in actum secundum eundemque proprium, ut naturalis causa in actum eundem exit.

Ipse autem ex natura sua sensu excitatur, ita ut sensus nihil prorsus cognoscat, neque cognoscere valeat, quin intellectus simul de eodem non nihil cognoscat et cogitet.

(1) Cfr. an. XIII, n. 1.

Atque rursus e converso impossibile est intellectum humanum, in statu nostro praesenti et connaturali, aliquid cognoscere, quin vicissim ad phantasmata sese convertat: unde ligatis sensibus sensatur et intellectus actio.

Ex quibus principiis experientiae consonis, id imprimis eruitur, nullam prorsus cognitionem humanam mere sensibilem, vel mere intellectualem dari, aut dari posse, dum anima sensibus unita, eosdemque informans remanet.

Hinc aliquando istud statuit Angelicus, post varias utrinque adductas comprobationes, tum nempe, « quod anima per intellectum cognoscit corpora cognitione immateriali, universali et necessaria », tum « quod impossibile est intellectum secundum praesentis vitae statum, quo passibili corpori coniungitur, aliquid intelligere in actu nisi convertendo se ad phantasmata » (1).

Cuius explanationes et argumenta tibi qui legas et perlegas omnino suadeo. Id tamen sedulo nota, intellectum nempe dum corporalia intelligit, non per similitudines materiales, sed per similitudines immateriales intelligere.

Quae conclusio, ut sane vides, amice dilectissime, id iam primo ad responsonem infert, voluntatem de facto non moveri nec moveri posse ex cognitione humana mere sensibili, siquidem ista non existit. Ubi igitur sensus nonnihil percipit et cognoscit ut amabile, vel secus, exemplo de eodem iudicat ex natura propria intellectus per intellectionem, cuius erit obiectum voluntati ut amabile, vel secus, proponere.

Ceterum alia asserti praedicti ratio hic addenda vindetur. Uterque scilicet hominis appetitus, sensitivus nempe et intellectivus seu voluntas, nonnisi proportionata eademque praevia cognitione moveri potest et debet: secus enim effectui non assignaretur ratio sufficiens.

Sed vero cognitio mere sensibilis nullatenus appetitui intellectivo proportionatur, ut patet. Istius enim obiectum proprium est bonum ut bonum absolute, sub cuius ratione formalis movetur et vult quodecumque vult: huiusmodi autem bonum sensus neque attingit neque attingere potest sub eadem formalis ratione, propter naturarum diversitatem, siquidem ex natura propria sensus non attingit nisi bonum particulare et sensibile. Unde dispar prorsus est cognitio mere sensibilis ad excitandum appetitum intellectivum seu voluntatem, immediate, per se, ex propria natura.

Intellectus enim primo res sensibiles quasi ad se in specie intelligibili trahit, quasi priores facit, rei essentiam sub elementis materialibus percipiens ac discernens, atque postmodum voluntati exhibens.

Neque exinde quis obiciat ex cognitione sensibili oriri posse actum appetitus intellectivi, non secus atque ex eodem oritur actus intellectionis, qui sane di-

versus natura est. Neque enim eadem est intellectus et voluntatis indoles in agendo; siquidem intellectus res ad se actu proprio quasi trahit, accipiendo immaterialiter res materiales, siquidem quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur: unde intellectus, prout immaterialis immaterialiter recipit. Voluntas e contra ad res ipsas tendit seseque iis conformat: unde ad ipsius propriam operationem quae spiritualis est obiectum proponi debet quod sit in se spirituale, videlicet ab ipso intellectu purificatum a conditionibus sensibilibus erutum et exemptum, quem istud per se praestare nequeat voluntas.

Ratio nempe edit iudicium, aut verum, iuxta rei veritatem, aut falsum contra eamdem, ubi, v. gr. facilis approbat vel reprobatur practice ea quae sensibus sapiunt: ex quo iudicio se se movebit voluntas, sicut ipsam eadem voluntas non movebit sensum nisi praevio nonnullo sensu quasi iudicio.

M. — Quae omnia perspicua mihi satis videntur. Nonnulla tamen mihi quaerenda remanent, quorum explanationem a philosophia tua enixe peto, rogo. Id clarius fusiusque mihi edisseras velim quo modo voluntas velle potest quod sensui arridet, reprobante ratione, quin statim inde sequatur voluntatem nonnunquam non obsequi rationi ipsi, sed sensibus parere, quod tamen ut impossibile iam pronuntiasti.

T. — Ea igitur penitus investiganda nobis sunt, inchoando ab ipsam eam dicendo ab ipsam hic proposita difficultate. Potest utique voluntas sensibus obsequi idque appetere quod rationi alicui prorsus repugnat. Experientia quotidiana et nostra et aliorum id testatur, nos videre meliora probareque, at deteriora sequi. Quod tamen nullatenus fit absque aliquo rationis iudicio.

Ratio nempe quaedam approbat aut reprobatur theoretice ut legi superiori consona vel contraria: dum e converso damnare practice poterit ea quae theoretice approbavit, vel approbare quae damnavit, respectu habito ad passiones humanas, vel ad bonum aliquod particulare verum aut apparen, quod melius sibi esse hic et nunc iudicat, errando practice, quam bonum superiori legi conforme. Etiam peccando voluntas aliquod iudicium sequitur, illud nempe iudicium quo homo falso iudicat sensibus et passionibus hic et nunc obtemperandum esse. Quinimo utrumque iudicium, theoreticum nempe et practicum, cohaerere simul debent, nisi velis omne vel meritum vel demeritum evanescere. Ratio iudicat, et quidem theoretice, legi necessario obsequendum esse, dum practice iudicat hic et nunc obsequendum, quod erit meritum et bonum, vel non obsequendum, quod erit demeritum et peccatum.

Quae doctrina praedicta penitiori investigatione comprobari sane potest.

(1) I^a q. 84, a. 1, 7.

Voluntas scilicet non vult neque velle potest nisi bonum sibi rationis imperio iussum, siquidem ad imperium pertinet omnes facultates hominis, ut animalis rationalis, ad actum secundum movere, exercitum amoris et operis iubere.

Imperio autem praest electio, quum imperii obiectum non sit nisi bonum electum, verum aut apprens, quod electio ut magis amabile hie et nunc approbat.

Electioni demum praeit iudicium, discernens bonum inter et bonum, quodnam scilicet sit hinc et nunc amore dignius.

Quae omnes operationes sane nonnisi ab intellectu seu ratione esse possunt, quum ad sensus nullimode pertineat bonum simpliciter cum bono conferre, proindeque eligere et imperare. Voluntas igitur humana à sensuum actibus non movetur directe et immediate.

His adde voluntatem ut dominam et liberam imperare sensibus iure proprio, istisque obtemperare vel secus pro libitu posse. Unde sensus voluntati simpliciter obnoxius et servus est, neque dominari ex se potest.

Quae omnia, ubi recte pensabuntur, assumptum penitus demonstrabunt, voluntatem moveri cognitione non quidem sensitiva, sed intellectiva.

M. — Optime quidem! Sed tamen inde erui et sequi videtur cognitioni sensitivae nullas in movenda voluntate partes competere: quod absonum videtur et omnium dictis et experimentis contrarium.

T. — Imo partes egregias sortitur huiusmodi cognitionis, non solum quia principium quadammodo est intellectivae cognitionis, dum allicit intellectum agentem, ipsique exhibet quasi materiam circa quam agat; sed etiam quia quo vividior fuerit, eo vehementius intellectum impellit, indeque saltem mediate, voluntatem humanam.

M. — Quaestio, fateor, mihi sufficenter elucidata remanet de ineptitudine cognitionis sensitivae ad movendum immediate ac per se voluntatem humanam, quae motio ad cognitionem intellectivam sane competit.

Nihil tamē hucusque disputatum a nobis est de eiusdem indole, conditionibus et partibus, de quibus omnibus alias sermonem, si tibi libuerit, faciemus.

Gratias interim tibi ex corde pro dictis et explanationis refero, idque saltem mercedis perceipe quod, me fidente, sine invidia communicaveris ea quae sine fictione didicisti.

I. I. B.

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum:

DE SYLLABI PII PP. X

PROPOSITIONE XXVII

(Scripsit P. REGINALDUS FEI, catholici Friburgensis athenaei doctor).

PAROEMIAE SIVE ADAGIA

Anagyrum commoves.

In eos, qui sibi ipsi malorum auctores sunt, qui que in suam ipsorum perniciem quempiam irritant.

— Unde ducta sit paroemia varie narratur ab auctoribus. Alii ad fruticis naturam referunt, cuius meminit in tertio libro Dioscorides, quem quidam magyrum, quidam anagyrum appellant; nonnulli acpon, medicamentis quidem efficacem, verum odore maiorem in modum gravi, maxime si manu teratur: cuius fructus gustatus vehementem vomitum promovet. Unde vel ab odoris molestia, quae carpentem consequitur, adagium ductum videri potest, quandoquidem et acopi vocabulum indidem appetit repertum, vel a concitandi vomitus efficacia. Meminit huius et Plinius (lib. XXVII, c. IV). Sunt qui dicant Anagyrum locum fuisse in Attica, qui ad tribum pertineret Erechteidem, auctore Stephano, ubi frutex quidam gravissimi odoris plurimus proveniret; ut Anagyrum pro frutice non secus accipiamus, quam Anticyram pro elleboro. Rursum alii Anagyrum genium quemdam existimant, qui propter violatum sacellum suum, vicinos omnes funditus everterit. Atque huius adagii mentionem fieri apud Aristophanem in Lysistrata. Et sane apud Aristophanem locus sic habet: « Unde advenit? Ab Anagyro; ergo per Iovem Anagyrus esse motus appetet mihi ».

Stultus stulta loquitur.

Euripides in *Bacchis* atque totidem prope verbis Esaias habent: « Stulta stulti oratio est ». Seneca ad Lucilium: « Apud Graecos - inquit - in proverbium cessit: Talis hominibus fuit oratio, qualis vita ». Hoc cuiusmodi fuerit parum liquet, nisi quod tale quoddam carmen exstat Graecis celebratum, latine sonans: « Hominis figura oratione agnoscitur ». Democritus philosophus apud Laertium orationem vitae simulacrum quamdamque velut umbram esse dicebat. Qua quidem sententia nihil dici poterat verius. Nam nullo in speculo melius expressiusque relucet figura corporis, quam in oratione pectoris imago repraesentatur. Neque secius homines ex sermone, quam aerea vasa tinnitu dignoscuntur.

FORFEX.

Non ob ea solum incomoda quae eveniunt improbis, fugiendam improbitatem putamus; sed multo etiam magis quod cuius in animo versatur, nunquam sinit eum respirare, nunquam acquiescere.

CIC., *De fin.*, I, 16.

AD GOLGOTHAM

Sacra actio dramatica I. B. FRANCESIA versibus senariis conscripta

PERSONAE

BARBAAL
IUDAS A KERIOT
NICODEMUS
JOSEPH AB ARIMATHAEA
PONTIFEX MAXIMUS
NAASSON
ARAAM
SALOM
PHARISAEUS
Umbra loquens
Voces internae
Sacerdotes, Pharisei, Scribae, Hebrei, discipuli cum adversariis I. Christi, Populus, Milites Romani, Umbras.

Scena est vertex apud Calvarium. In ima parte est collis, facilis adscensu, ad dexteram pronaum cum porta, hinc inde ruinae, palmae ad imum collem, et sepulcra.

PROLOGUS⁽¹⁾

Senariis placet referre versibus
Fuit quae civitas passa Ierusalem,
Bonus quem ducitur Christus ad Golgotham.
Adest Eius magna doctrinae soboles,
Fatale crimen nunc suorum perdonans,
Magistrum manibus reddere vult liberum.
Eo nam totis tendit nervis et studet;
Voluntas obstat ipsa sed Dei Patris,
Cupit quae cunctos homines redimere.
Sic inimica surgit e contrario
Malorum turba, multa quae congerit,
Pravisque verbis murmurat et reprobant....
Ut Iesum tollat, pellat in perniciem!
Adest et ipse Servatoris proditor!
Quot lancinatur conscientiae morsibus,
Quot contumeliis adstantium tunditur!
Pati supremam credit is iniuriam.
Venis superbus illusurus Satanas,
Eumque trudit se suspendat laqueo!
Quod alter numeris italis prodidit,
Actumque est maxima omnium dulcedine,
Plautinis edere tentavi versibus!
Suo consensu feci quod liberior.
Hoc scripsi, ut memorans quot Iesus pertulit,

Humanam gentem redimat ut sanguine,
Obrutus munerum sic homo pondere,
In bonam conferat frugem se denuo,
Volens sibi iure Iesum dicat principem,
Eique totam servitutem serviat.
Quod felix, faustum, fortunatumque auspicium!

SCENA I. (Doctrina).

JOSEPH AB ARIMATHAEA, NAASSON, ARAAM, SALOM,
nonnulli Hebrei.

JOSEPH (*stans in ruderibus docet. Naasson, Araam et nonnulli Hebrei eum congregant ad dexteram auscultant.*)
SALOM (*alique sinistrorum sine ordine curiosius introspicunt.*) (*Nonnulli Hebrei colloquentes in inferiore parte deambulant.*)

Ios. (*elata voce*). Si eos amatis pulchre qui vos diligunt,
Erit quid meriti vobis pro munere?
Ipsos amate vos et adversarios,
Iisque gratias ferte pro viribus,
Vobis quamvis nullum sit inde praemium.
Magister placita nobis haec tradidit,
Sequi nos ulti quoae debemus alacres.
Suo si indulget ingenio dulciter,
Eius vocari quis potest discipulus?

Ar. Sed impiis noster magister linquitur,
Ut ipsum possint pertractare duriter?

Naas. Sumus sed iuvenes....

Alii. Vigentes sanguine.

Ar. (*ad alios*) Gestamus pectus, iuvenes, fortissimum!

Naas. (*elatus*). Hanc rem promitto vobis bene succedere.

Ios. Tun? Es qui vades validus pae caeteris?

Naas. Eamus ergo! tentare prodest viam.

Omnes vos cives armis nunc accurrite.

Proh! dolor! ipse eur se se illa abdidit die,
Cur olim nostro restitit desiderio?

(*Omnis qui sunt in extrema parte ei se comites addunt*)

Foret nunc civitas in tuto posita,
Suoque imperio nos ipse regeret.
Ius nobis durius nec Romani darent,
Nec nostra tempa profanarent amplius,
Nec impii sancta deriderent sabbata;
Probris nec millibus latis a Syria,
Ægypto, Persia, iungeret nec dedecus
Suum quae dicitur Regina gentium.

Ios. Minus sed ipse nostris favet civibus!

Ar. (*et alii*) Romanis forte?

Ios. Nil! sed omnibus!

(1) NAASSON erit Prologus.

NAAS. (*et alii*) At Israel?

Ios. Cives nos terrarum sumus!

NAAS. (*et alii*) Eum volebamus nobis regem dicere....

AR. (*et alii, excepto Nicodemo*) Ita est! Ita! nobis iura de
[volentibus.]

Ios. Quid? Esse Eum regem nescitis gentium?

Enim venit ipse pro peccatoribus,

Prius pro gentibus, pro nobis postea.

Eum nos urbibus nostris expulimus,

Eum nec novimus Messiam publice,

Palam res docuit quas ipse viderat.

Et Ipse audiverat... sed illi traditam

Sibi doctrinam recusarunt credere!

At ipsa signa, quibus frequentissime

Aegri sanantur, hi vertunt in dubium,

Quae quidem fecerat in conspectu gentium.

Sui nec cives hunc faventes audiunt,

Imo diseruant, in ipsum murmurant....

Quare iure dixit: Honos haud in patria

Datur prophetae, nec suis in aedibus.

AR. Joseph Arimathaea, carus qui es Deo,
Nosti nos sanctam Christi doctrinam sequi....

Ios. Verum dicas, Araam, sanguis Eson incliti,
Et tu, Naasson, praestantis Aminadab,
Mihi praebetis aures qui nunc dociles;
Suis in verbis credidisti optime,
Et ipse lucem vobis est pollicitus.

NAAS. Quid ergo moramur?

AR. (*et alii*) Surgamus fortiter!

Ios. Res ardua et nimis plena periculis,
Sumus nunc pauci, pauciores crastino.

NAAS. Heic adesse cunctos nos condiximus,
Hac nocte fontis Betzaidae prope porticum,
Venire diximus omnes compositi.

Araam, audisti?

AR. En totus, Naasson, sum tuus!
Stare nam promissis semper est placitum!

SALOM. (*introrsum versus semper ad laevam respiciens cum nonnullis Hebreis*)

Quae virorum turba exit ab Ierusalem!

(*Hominum globus, qui circa Joseph stabant, rumpitur, et ad sinistram proficiscitur. Omnes circumspicere student; atii ascendunt super maceriem, alii aliis adhaerentes: fit rumor. Haec scena sit in primis vivax*)

AR. (*et alii*) Popellum vides multis cum militibus?

NAAS. (*idem*) Puelli, mulieres.

AR. (*idem*) Urgent, se se premunt!

SAL. Senesque.

Ios. Sacerdotes. (*pausa*)

SAL. Romani equites.

NAAS. Viri stipatim celeres carpunt viam.

Ios. Duo simul vincti duecuntur funibus....

AR. Latrones certo nuper damnati crucis!

Ios. Post haec quae circum turba! Qui rumor gentium!

(*Omnies certatim intropicere student. Excessum derita: fastidium generat. Murmur sensim in ipsis ita crescit, ut dialogus pergere videatur vel post verba Josephi. Pausa. Silentiū in interno: multitudo hominum fingitur adhuc longe.*)

NAAS. (*hoc temporis momento is strepitus auditur ut vocem aliquantum superet*) Cur illa virum turba se cal-
[cantum?]

SAL. (*id.*) Student cur illi certatim prae se ponere?

Ios. (*cum aliis*) Omnes sunt anxii, videndi omnes cupidi.
Miser quis aegre lento procedit gradu?

NAAS. Ehu! plectitur!

AR. (*id.*) Urgetur barbaro milite.

SAL. (*secum elata voce*) Urgetur!

Ios. Ipse procedit onustus cruce.

(*Pausa. Magnum silentium. Sistunt. Murmur ut supra.*)

SAL. (*ut supra*) Viribus ehu! deficit!

AR. Linquitur spiritu!

NAAS. (*id.*) Pedes offendit.

Ios. Pellitur.

SAL. Procubuit.

NAAS. Humi innocentem pepulere barbari.

Ios. (*elatus*) Magister!

OMNES. Ipse!

Ios. Venit qui de Nazareth.

OMNES. (*elate et simpliciter*) Nazarenus!

NAAS. (*quo melius videat, graditur super maceriem*)

Deus nos adiuvet! Percutiunt eum,

Quo velit terris citius resurgere. (*Murmur ut supra*)

AR. (*ut supra*) Eum conculeant!

SAL. Capillis eum trahunt!

NAAS. (*horrore percussus*) Eum tigres caedunt ehu! duris [fustibus,

Ios. En ipse! En ipse!

AR. Proh dolor!

OMNES. Totus fluit

Cruore.

NAAS. (*post pausam, dum diffunditur denuo tenuis murmur, clamitat,*)

Curro ut ipsum saltem liberem,

Modo vel potius pereamus simul.

OMNES. (*praeter Iosephum violenter*)

Eamus! (*Introeuntibus fit obvius Nicodemus, qui intrat ex ima parte ad laevam*).

SCENA II. (Historia).

NICODEMUS cum nunnulis Hebreis, et dicti.

NIC. Filii, quo furentes ruitis?

NAAS. (*cum aliis*) Eius nam causa....

NIC. Tune salvum facies?

NAAS. Utique! Prohibere quisnam mihi potest? (*progre-
diens cum aliis*)

NIC. Siste! nescis quibus abreptus viribus
Custodia truditur?

NAAS.... Plebis?

Nobiles

Israelitae, sacerdotes vigilant

Fortiter, turbae qui dederunt nummulos. (*progre-
diuntur*)

Ios. (*lente ad latera Nicodemi sistit*).

NAAS. (*cum aliis*) Armis adgrediendum nunc Synedrion!

Ipsum, ipsum Iustum damnavit capit!.

NIC. (*violentius*) Ipsum adeusavit: damnat lex lata a Caesare,
Suique milites latrones protegunt,

Eum qui tristes duecunt ad supplicium.

OMNES (*maximo dolore*) Nihil agemus?

Nil! Nos urget placitum

Divinum nulla dissoluendum manu,
Trahit quod rigidum, atque in aeternum stabit,
Dum Filius Dei calicem biberit,
Doloris usque vel ad faeces ultimas. (*omnes caute re-*
[nuunt])

Modo sed Ipse libertatem respuit....
Cum Iudas proditor, Simonis filius,
Alumnus unus qui fuit de duodecim,
Daturus ipse prodigionis osculum,
Hoc namque signum nefandus dederat.
Furens in Placidum turba prosiliit,
Ut in latronem.... Petrus qui Simon dicitur,
Ferit mucrone Malchum Caiphas servulum....
Iesus quid autem dixit? Pone gladium,
Petre! qui gladio cædere nam solent
Peribunt gladio.... Tu vero pervelim
Putes, precari posse Patrem me docilem,
Dabit qui praesentes ordines Cherubim,
Suo semper adsunt sancto conspectui!
Qui possunt sancta compleri carmina,
Ex quibus ipse dura deberet pati?
Tibi, Naasson, Aminadab qui es filius,
Haec diceret: Nam prophetarum placitum,
Trahit quod rigidum, atque in aeternum stabit,
Ut olim Moyses in deserto colubrum
Levavit.... Filius sic levandus Hominis,
Ut ad eaelestes omnes perduci queant
Suam qui perfectius doctrinam compleant.

(*Magna fit hominum perturbatio, quae crescit eundo usque ad finem. Nulla sit intermissione: unusquisque loquatur quam citissime*)

NAAS. Turbae quae nuper clamitabant gloriam
Hosanna Filio David?....

ALLI. Faustissima
Tibi sint, venis qui in nomine Domini?

NIC. Crucifige! Crucifige, perfidae nunc clamitant!
OMNES (elate) In ipsum?

NIC. (pergens ardenter) In ipsum! Pilatus in vestibulo
Praetorii tulit eum fluentem sanguine....

ALLI. Flagellis caesum?....

NIC. Cinctum spinis tempora,
Caput quae lacerant et ossa lacerant.

NAAS.... (*altius semper*) Enim flagellis caesus non fuit satis?

NIC. Imo Pilatus cum vellet incolumem
E more quemdam, populo proposit?....

Ios. (et nonnulli alii) Et ipse? Quem? Quem?

NIC. (altissime) Barabbam voluit

OMNES (horrescentes) Barabbam? Ehu!

NIC. (brevi post silentio levat dexteram solemniter et voce na-
turali) Eos excaecavit Dominus!

Eorum pectus induravit Dominus!

Ut impleretur Prophetarum sententia.

(*Omnes maesti, dolore perculti, caput in sinum socii reclinant*)

NAAS. (plangit flectens caput in Iosephi humerum)

Nunc est precandi, fratres, nunc necessitas... (*Osten-
dens portam ad dexteram, et cum Iosepho solatur Naasson.
Hi tres primi transeunt, alii honoris causa hinc inde stant,
postea lento gradu subsequuntur inter se colloquentes... Multa
in omnibus maestitia*).

SCENA III. (Conscientiae stimulus).

IUDAS. (*solas*).

IUDAS. (*introgressus e sinistra parte perterritus quasi ab aliquo insectatus, dentibus frendens*)

Proditor! Auditur semper haec vox, proditor!

Tristemque vocem dat aër per compita,

Hanc semper vocem cuncta quae me terrant.

(*deambulat in circulum inter se nonnulla mussans*)

Proditor! (*progreditur et sistit*)

Et lingua, quamvis ipse resciam,

Clausis vocem turpem labellis iterum

Ultro mihi suggerit tacite spiritus. (*vestem stringit
ad pectus*).

En ipsa vox! En late impetu diffunditur....

Per omnes venas torridus serpit crux

En ipsa! En ipsa! (*claudit violenter labia, manibus
consertis, nititur eam tenere, rugit, denique vi coactus,
manus aperit tremens et voce interclusa exclamat*)

Proditor!

(*Cadens sedit in macerie ad dexteram. Est lassus,
pausat, postea oculis obstrictis*)

Fac citius

Mihi quid vis! (*haec verba Christi memorat voce
longe petita*) Bolum miser sumpsi et exii!

(*se se executit*) Hac ipsa nocte, Simon Iona filius

Negat fuisse Petrus se discipulus.

Iacobus Zebedaei, Mathaeus fugit,

Eumque caeteri fugiunt Apostoli.

(*Ab irato*) Ipsi vocandi nec proditores erunt?

(*Voce longinquâ*) Amen, amen, dico, de vobis aliquis

Me tradet! (*voce naturali*) Aliquis? Ego? Me forte
autumas?

(*Ore solemni*) Tu dixisti! Graves ardens interea

Intorsit oculos.... (*voce quasi longe petita*) Oportet
procul dubio

Ut male Filius multetur Hominis,

Sic ipsum Patris tulit desiderium,

Ei sed omne malum postea decidet,

Fuit qui causa! (*ab irato*) En sum Iudas qui perdidi,

Eum suorum manibus qui tradidi

Ad occidendum! (*crescens*) pro triginta nummulis,

Eis et unum prodidi per osculum!

Cum non novissent eum virum milites.

(*Pausat*) Amice, cur venisti? (*Ore dulci*)

Clemens et placidus

Ut agnus et vox similis symphoniae!

(*Singultim*) Maestoque questui! (*breviter pausat; postea len-
tus et tremens infert manus inter capillos, et quatiens caput,
exclamat*) Sed, sed, Tu proditor! (*se se elevat*).

(Ad proximum numerum).

Naturane nobis hoc datum dicam an errore quodam, ut
quum ea loca videamus, in quibus memoria dignos acceperi-
mus multum esse versatos, magis moveamur, quam si quando
eorum ipsorum aut facta audiamus, aut scriptum aliquod
legamus?

CIC., De Fin., V, I.

DE RESURRECTIONE CHRISTI

Dum nobis gratulamur nos de Christi ad vitam reditu, festoque ritu illum quotannis diem distinguimus, alii homines aliis moveri solent adfectionibus. Alii nihil unquam acceperunt, cur tanta illo die opus sit laetitia; alii reliquendas nobis esse dicunt istius generis fabulas; postremi non reliquendas, censem, sed argutiis mentis bene sanae atque acumine errorem, antiquas nugas perniciosa humani generis labem e cerebris esse delendam. Piores utinam possimus quam primum nostrae felicitatis habere participes! De altero hominum genere doleamusne nescio, qui vel ob oculos vel in auribus callosiores pingui agunt, ut aiunt, Minerva; cum postremis autem breviter colloquamur. Quis enim nostrum eorum vicius rationibus tam erit antiquitatis amator, ut veram habeat antiquam fabulam? Vestram, vestram sequemur partem, si nostram errare domonstrabis.

*
* *

Non ergo, quaerimus, non surrexit Christus? Fabulamne nos vel anile commentum paschali ornamus pompa? Sed dicam vobis antequam vestris capiamur retibus, cur nobis tam diu et tam strenue persuasum fuerit surrexisse Christum a mortuis vere: valde enim vereor, ne nostrae rei inscitia opinionem vestram veram esse credatis, quum aut nos aut vos in errore versemur. Neque nunc multa cogitatione praecipio, ne illud quidem: quidquid est, a mortuis Christus non revixit; eam enim scientiam, qua cogitandi atque concludendi servetur libertas, a vobis dilaudari saepe accepi. Id tamen commune nobis esse debet in hac re quasi solum, ut logicae artis rudimenta domi nobis sint et ut vera habeamus, quae historia atque scientia cognoverimus.

Christum igitur ad vitam redisse vos negatis, partim, quod ne mortuus quidem esset; partim, quod mortuus nullam vitam receperit. Nos contra statuimus et esse mortuum et revixisse; et utrumque comprobamus. Mortis igitur testes sunt omnes qui de Christo scripserunt, iis exceptis solis, qui Christi corpus non verum fuisse finxerunt, sed aërea quaedam humani corporis lineamenta, quae utique morti occubere non potuerunt. Per magna, libere vobis dico, est audaciae de tam facili re tot omnium aetatum hominum persuasionem vel errorem declarare, vel etiam turpe mendacium habere. Si vel unum vestrarum opinionum apiscimini in aliquo vetustiore libro vestigium, quanto

venditur studio! quorsum versatur atque torquetur! sin adversus vos est locus: mendacium dicitis, interpositum, intrusum clamatis, etiamsi nulla subsit alia ratio quam ante concepta opinio.

Mortuum esse Christum dicunt milites, quum nolent frangere crura mortui, fractis vivorum cruribus; dicit Pilatus, qui Iosephi Arimathei precibus permisit corpus, postquam a centurione rescivit mortuum; dicunt ipsi pharisei, quorum ardentissimum fuerat studium mortem ei consciscere, quibus alias tantam han-



Christi resurrectio, quam SODOMA effinxit.

(Tabulam in Senensis Municipum aedibus asservatam photographice expresserunt FR. ALIARI, Florentiae).

bere soletis fidem, qui custodiam petunt, ne corpore clam ablato a discipulis circumferretur rumor ipsum revixisse; dixerat enim seductor vivus tertia die ad vitam se esse redditum. Neque cuiquam mirum esse potest Christum esse mortuum tot tantisque enecatum cruciamentis, post latus lancea fossum, quum corpus Iudaico more ita sit involutum atque delibutum unguento, ut vel particula vitae suffocata et extincta esset. Oleum perderem et operam, si quid huc adderem ut credatis vos; historiam enim vos aliquando ponitis in exstruendis mentis vestrae desideriis, non in rebus ge-

stis a scriptoribus traditis, et estis promptiores ad ne-ganda scripta, quam ad mittendum propriae indolis commenta.

* * *

Scio esse inter vos qui mortuum quidem Christum facile dent; a morte autem rediisse nullo pacto adducantur ut credant.

Sed iam percipite quid dicat historia. Non semel, non bis, sed deieis Christum introduceunt scriptores post mortem vivum. Potueruntne hoc vere dicere? Et si potuerunt, volueruntne dicere? Quid? Si debuere dicere? Pono: potuisse certo dicere eos, qui memoriae prodiderunt. Quid enim praetermisit Iesus reredivivus ad fidem faciendam? Ostendit se viris et mulieribus, singulis et coetibus, saepe, vario tempore, vario loco, propinquum; loquitur denique panemque comedit et omnem timoris et dubitationis causam a discipulis aufert. Quae quamdiu in eorum animis inhaerebat! Nos exspectaveramus Israeli eum esse salutem adlaturum, non antea morte praepediri; furtive esse ablatum putat Magdalena, delirae videntur discipulis mulieres nimisque credulae, quum retulerunt vivum, quem scierunt esse mortuum; umbram se videre opinantur quum ipse accedit, illoque res adducitur, ut Thomas, qui fuit ex discipulorum numero, se crediturum esse neget, nisi et manus et latus ipse videret atque adeo tangeret.

Quaero igitur: Potueruntne discipuli Christi post tantam signorum nubem dicere surrexisse ad vitam magistrum?

— « At nolabant verum profiteri: decipiebant alios ».

O vocem inconsideratam! Quid, quaeso, si Christus ad vitam non reverterat, quid eos pepulit dicere: Repente revertit? Poenane? Nulla erat proposita; neque divina, quem enim Deus puniet quod id quod verum non est non divulget? neque humana; quam enim gratum fecissent Iudeis, si tacuissent! An praemium stimulavit? Magnum sane tulissent a Deo mendaces munus singularemque habuissent pharisei et scribæ gratiam, quod eum vivere mentiti essent, cuius ne furarentur corpus, custodiebant sepulchrum, quem quum vivum renuntiabant, filium Dei a Iudeis occisum affirmabant. Quid tandem appulit ad tantum mendacium, tam impium, tam periculosem viros simplices? Nulla poena, nullum praemium: contra deterruit Iudeorum odium, vitae periculum, ipsius mendacii desperata temeritas. Quonam igitur modo vos garritis non surrexisse Christum, quum ipsi discipuli dicant: surrexit? Aut illi errant, aut vos erratis. Illi oculis viderunt vivum, illi manibus tetigerunt: vos nihil vidistis: malumus igitur errare cum illis, quam verum sentire vobiscum. In qua nos voluntate vehementer confirmat, quod discipuli in hac re ne potuerint quidem mentiri. Quid enim? Potuissent ablato corpore dicere: Vivit; auferre autem corpus quis docuit timidos? quis persuasit eis, qui in coenaculum fugientes se incluserunt? quis, in-

quam, docuit corruptam amovere custodiam? Nemo. Ergo vere Christus a morte ad vivos revertit. Videatisne rectissime sentire nos? Hoc quasi quoddam fundatum est paschalis nostrae laetitiae, vestri doloris.

* * *

Nunc, quia inclusi estis, aut date iam quod tenebimus ratione ducti, etsi non detis, aut ad artem vestram vos recipite: iam parati sumus audire vestrum: « si ista interpolata non essent,... si facta, non facta essent,... viceissetis ». Respondeo breviter hodie; longius aliquando quum erit otium: Quid est causae, quod, quae de Christo sunt, tanta a multis contentione negentur? Conscriptis Caius Caesar bellum Gallicum et bellum civilis commentarios: nemo dicit mentitum esse. Scripserunt homines non improbi, id quod viderant, Christum esse mortuum, sed tertio a morte die vivum ex sepulchro prodiisse, totus grex doctorum, qui dicuntur, hominum clamat mentitos esse. Neque tamen omnes, qui negant revertisse Christum omnem negant scriptoribus fidem: sed catapultas disponunt adversus ea quae supra retulimus. Age ex tuto portu firmissimaque specula fluctuantem classem paullulum contemplemur. Explodunt illud: « Nemo vidit egredientem ex sepulchro Christum, non ergo recte dici potest egressum esse ». Quid? Nemo te vidit hoc mane egredientem ex lectulo: plenum fac argumentum ipse. Impudentem me nominas? At sum te imitatus. Vides enim recte dixisse discipulos mortuum ad vitam ex sepulchro abiisse magistrum, quem, quum posuissent illie mortuum, postea viderunt vacuo sepulchro egressum.

— « At pluribus se debuit ostendere vivum, maxime suis adversariis ». Non est satis, quod ad quingentos homines eum viderunt simul? Adversarii credidissent, opinor, necem nefariam nunc essent confessi.

— « At solus Mathaeus commemorat sepulchri custodiam ». Ergo istam rem reliqui tacuerunt.

— « At ipsi scriptores contraria referunt ».

Quis vero negat vivum, id quod nos hie agimus? Quis scriptor addidit se dicere quaecumque facta sunt? quis se eadem describere pollicetur, quae alias antea edidit? Si fortiora non adfertis, nihil cedimus. Neque enim est quidquam, quod vel fraude, vel mortis aliqua similitudine, vel hallucinatione inventam esse dicitis repetitam Christi vitam, atque propagatam, quippe quae ipsi non credatis. Nuda rerum scientia magna vietatur Christum, quem vestris commentis atque nugis tantum abest ut ab animis nostris auferatis, ut continuo in reprimendo scelesto conamine maiore gloria, maiore laude, maiore charitate respondeamus.

Moedling ad Vindobonam.

P. ANDREAS HABERL.

ARRAE GORGONIAE

« Vox Urbis » commentarii appendicem, vid. in pag. 48.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Circa interpretationem decreti « Cum recenter » a Congr. S. R. et U. Inquisitionis lati d. 5 mens. Decembr. 1894 de ieiuniis.

I. Quinam sint dies in quibus Episcopis liceat vi decreti *Cum recenter*, dispensare super lege ieiunii, quum facultas eodem decreto contenta ad ferias sextas et sabbata tantum extendi videatur, et hi ipsi dies in illo decreto excipiantur, si sint ieiunio consecrati? — *R.* Nunquam.

II. Quum praelaudatum Decretum sic de nundinis loquatur: « Eadem antieipandi seu etiam gravissimis de causis dispensandi potestate uti possunt pro diebus, quibus nundinae extraordinariae, magno item populum concursu habeantur » nec dies nundinarum distinguit, queritur: Utrum liceat Episcopis occasione nundinarum, quae fiant cum magno populi concursu anticipare vel dispensare ieiunium et abstinentiam, vel saltem solam abstinentiam, ieiunii observantia retenta, quacumque die hae nundinae habeantur, etiam in vigiliis ieiunio consecratis, praesertim si iidem Episcopi certo sciant ex parochorum testimonio a plerisque abstinentiam non esse servandam? — *R.* Negative in omnibus.

III. Utrum liceat Episcopis occasione solemnitatem religiosarum, vel nundinarum, quae fiant cum magno populi concursu diebus ieiunii, vel solius abstinentiae, extra ferias sextas et sabbata, ieiunium et abstinentiam anticipare, vel gravissimis de causis dispensare? — *R.* Negative.

IV. Utrum Episcopi in Lusitania ad tramitem memorati decreti *Cum recenter*, facultate polleant dispensandi a lege ieiunii populum alicuius civitatis, oppidi, paroeciae vel loci, aliosque illue confluentes, quando aliqua solemnitas vel nundinae cum magno populi concursu celebrantur in sabbatis per annum, quae iuxta Indultum Apostolicum generale ab abstinentiae lege libera essent, sed in quibus ieiunatur ratione tantum vigiliae, quae illo anno in sabbatum incidit? — *R.* Negative.

V. Et quatenus negative ad iv, seu quoad legem ieiunii, utrum eadem facultate uti possint Episcopi in iisdem memoratis adiunctis quoad solam legem abstinentiae? — *R.* Negative.

VI. Utrum iisdem Episcopis liceat super lege saltem solius abstinentiae dispensare in relatis adiunctis, feriis sextis et sabbatis per annum in quae incidunt vigiliae, vi Indulti quadragesimalis in Lusitania iam ab abstinentiae lege immunes? — *R.* Provisum in praecedenti.

VII. Utrum iidem Episcopi vi decreti *Cum recenter* et in adiunctis in n. IV expressis, possint licite dispensare, quando vigilia in Indulto quadragesimali excepta, sabbato coincidit in quo lex abstinentiae et ieiunii servanda est ratione solius vigiliae? — *R.* Negative.

VIII. Utrum ad mentem decreti *Cum recenter*, Episcopis in Lusitania liceat super lege abstinentiae generaliter populum alicuius loci ratione festivitatis di-

spensare in sabbatis, pro quibus Nuntiatura Apostolica in Lusitania, privatis familis ac personis Indultum concedere solet? — *R.* Regula pro statuenda facultate, quam Episcopi habent circa has dispensationes concedendas, non est desumenda ex praxi Nuntiaturae Apostolicae, quae alia habet indulta aliasque facultates, sed ab ipso decreto, seu ab eius terminis. — (Ex deer. Bracaren. d. 11 Decembbris 1909).

Ex Congregatione Consistoriali.

Circa competentiam relate ad matrimonia mixta.

Sacra Congregatio S. Officij litteris diei 27 Martii 1909 a S. Congregatione Consistoriali formalem declarationem petiit circa competentiam relate ad matrimonia mixta. Itaque proposito dubio in terminis ab adiunctore S. Officij statutis, hoc est: (1) « quae sit competencia S. Officij relate ad matrimonia mixta, sive inter catholicos et acatholicos, tum circa proxim, id est pro concessione dispensationum, tum circa ius, id est quoad resolutionem dubiorum, quae in hac re surgere possint, etiam propter recens decretum *Ne temere* », Emi. Patres respondendum censuerunt: « Competentiam S. Officij se extendere ad omnia quae sive directe sive indirecte, in iure aut in facto se referunt ad Pivilegium Paulinum et ad praefatas dispensationes. Et ad mentem, quae est: supplicandum SS. Mus. ut statuat ac decernat ut quaelibet quaestio circa praefata matrimonia deferatur Sacrae Congregationi S. Officij, salva huic Sacrae Congregationi potestate, si ita censem et casus ferat, quaestionem ipsam remittendi ad aliud S. Sedi officium ». Atque SS. Mus., audit a relatione Cardinalis Secretarii S. Congregationis Consistorialis, resolutionem ratam habuit et confirmavit, mandavitque ut in posterum quaelibet quaestio circa matrimonia mixta deferatur S. Congregationi S. Officij iuxta petitam, sub lege tamen ut firma semper et in omnibus maneat dispositio decreti *Ne temere* in art. xi, n. 2^o et 3^o statuta. — (Ex Actis Apostolicae Sedis an. II, n. 2, d. 15 Februarii 1910, pag. 56).

Circa relationem S. Sedi exhibendam ab alumnis collegii Iosephini in civitate Columbus.

Proposito dubio, utrum veteres alumni Collegii Iosephini civitatis Columbus in America adhuc teneantur quolibet anno relationem S. Sedi exhibere, iuxta iuramentum ab iis emissum, SS. Mus. Dnus. Noster in audience concessa Emo. Cardinali Secretario S. Congregationis Consistorialis die 21 mens. Ianuarii currentis anni 1910, attenta nova rerum conditione inducta a Const. Sapienti Consilio, benigne dignatus est alumnos memorati Collegii dispensare et eximere ab annua relatione peragenda.

Ex Congregatione de Religiosis.

Declaratio circa decretum d. die 7 mens. Septembris 1909 « de quibusdam postulantibus in religiosas familias non admittendis ».

Dispositiones Decreti Sacrae Congregationis de Religiosis dati d. 7 mens. Septembris 1909, *De quibusdam postulantibus in Religiosas Familias non admittendis* (2), ad mulierum quoque Religiosas Familias in po-

(1) Dubium propositum est Italica lingua; nos latine reddidimus.

(2) Cfr. Vox Urbis, an. XIII, n. I.

sterum extenduntur. Ideoque, absque speciali venia Sedis Apostolicae et sub poena nullitatis professionis, non excipientur sive ad Novitiatum, sive ad emissionem votorum, postulantes:

1º quae, propria culpa, e collegiis etiam laicis, gravi de causa, expulsae fuerint;

2º quae a scholis domesticis, in quibus puellae speciali cura in spem amplectendae vitae religiosae edificantur, quacumque ratione dimissae fuerint;

3º quae, sive ut professae, sive ut novitiae, ab alio Ordine vel Congregatione religiosa dimissae fuerint; vel, si professae, dispensationem votorum obtinuerint;

4º quae iam admissae, sive ut professae, sive ut novitiae in unam provinciam alicuius Ordinis vel Congregationis et ab ea dimissae, in eamdem vel in aliam eiusdem Ordinis vel Congregationis provinciam recipi nitantur. (Ex deer. d. 4 mens. Ianuarii 1910).

Ex Congregatione Rituum.

De offertorio in Missis cantatis.

Ab hodierno Rmo. Dno. Episcopo Curiensis dioecesis proposito dubio: « An sustineri possit consuetudo quae in multis Ecclesiis minoribus Curiensis dioeceseos ab immemorabili tempore invaluit, ut nempe in Missis cantatis, exceptis quibusdam solemnioribus, celebrans Symbolum intonet, hocque recitato, immediate pergit ad Offertorium illudque conficiat, dum a Cantoribus Symbolum decantatur? » Sacra Rituum Congregatio, auditio etiam Commissionis Liturgicae suffragio, respondendum censuit « Negative et serventur Rubricae et Decreta ». (Ex deer. d. 11 mens. Decembris 1909).

Dubia circa quasdam peculiares consuetudines in Officio, in Missa aliisque sacris functionibus.

I. Utrum tolerari possit longaeva consuetudo adhibendi in expositione insignis reliquiae S. Crucis D. N. I. C. nonnullos ritus qui servari debent coram SSmo. Sacramento solemniter exposito, scilicet genuflectendi utroque genu ante eam transeundo, illam incensandi a celebrante genuflexo et illam obtegendi velo violaceo si concio habeatur; vel potius standum sit decretis iam latis N. 2324 *Brixien.* 15 Septembris 1736, et 2727 *Lucionen.* 23 Maii 1835? Et quatenus negative ad primam partem, an consuetudo illa servari possit saltem in feria vi Parasceve, non obstante decreto N. 3201 *Montis Regalis* 20 Martii 1869, ad vii? R. Standum decretis.

II. In choro adest consuetudo recitandi flexis genibus, quocumque anni tempore, Antiph. *Salve Regina* cum versiculis et oratione *Omnipotens sempiterne Deus*, post antiphonam finalem de tempore, expleta hora prima, vel, si chorus non interrupitur, expleta hora tercia ante Missam conventualem. Petitur, utrum servari possit ista consuetudo etiam quando Antiphona finalis de tempore est *Salve Regina*, ita ut bis repetatur; et quatenus affirmative, an semper dicenda flexis genibus etiam diebus Dominicis et tempore paschali? — R. Negative ad utrumque.

III. Utrum chorus genuflectere debeat quando celebrans in Missa solemni vel in Vesperis incensat SSsum. Sacramentum solemniter expositum? — R. Negative.

IV. An pulsari possint organa quum canuntur lectiones matutini in Officio Defunctorum et in Missa pro Defunctis, quando chorus silet? — R. Negative ad primam partem; et Negative ad secundam, iuxta Caeremoniale Episcoporum lib. i, cap. xxviii, n. 13.

V. Utrum in Missa solemni *Benedictus* cani possit ante elevationem, vel standum sit praescriptioni Caeremonialis Episc. lib. ii, cap. viii, 70-71? — R. Standum Caeremoniali Episcoporum.

VI. Utrum in benedictione quae datur cum Reliquis Sanctorum genuflectendum sit in choro vel standum? Et quatenus affirmative ad primam partem, utrum etiam a Canoniceis? — R. Genuflectendnm est ab omnibus.

VII. Missam solemnem in Cathedrali celebrans, quando est Canonicus, induit paramenta in aula capitulari et ministri sumunt vestimenta in sacristia. Quid de hoc? Standum consuetudini, an decretis N. 2703 *Recineten.* 16 Martii 1833, et N. 3937 *Urgellen.* 11 Decembris 1896? — R. Standum Decretis. (Ex deer. *Cephaluden.* d. 16 mens. Decembr. 1909).

DIARIUM VATICANUM

(Mense Februario MCMX).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Mauritus Erdod, Comes, a consilio legationis Austro-Hungaricae apud Apostolicam Sedem; Ruspoli, Urbanus princeps, Sacri Hospitii Magister; Callori, Comes; Incisa de S. Stephano, Comitissa, eiusque familia; Stanislaus Medolago Albani, Comes; Iosephus Toniolo, Pisani athenaei doctor; Boggiano doctor, popularis Catholicorum Unionis in Italia praeeses nuper electus; Sanetae Severinae Dux; Patrizi Montoro, Marchio, S. R. E. signifer; Sven Hedin, Suetius explorator; Maria Aloisia Annuntiata d' Isembourg ex Austriaco archiducem genere; Di Bomarzo, Urbanus Dux eiusque familia; Quintella de Sampayo doctor, res pro tempore agens Lusitani regni apud Apostolicam Sedem; Ioannes Grosoli Pironi, Comes; Boncompagni-Ludovisi, Urbanus princeps, eiusque uxor; Apponyi et Testetiez Comites, ex intimo consilio Imperii Austro-Hungarici; Albertus Blancas doctor, Argentiniae civitatis administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem, Bruxellas translatus; De Ojeda y Perinan doctor, Hispaniae legatus apud Apostolicam Sedem; Maria ex Urbanis Ducibus Salviati.

Pontificiae electiones.

— Ioannes Martinus Ianiz, dioec. Corduben. in America, episcopus S. Iacobi de Estero; Abel Bazán, dioec. Corduben. in America, episcopus Paranan.; Ioannes Gulielmus Shaw, episcopus tit. Castabalen. et coadiutor revmi. episcopi S. Antonii in Civitatibus Foederatis Americae Septentr.; Dionysius O'Donaghue episcopus Ludovicopolitan.; Emmanuel Marteau, dioec. Parisien., episcopus Melden; Ioannes Ieremias Lavoler episcopus tit. Hermopolitan. et coadiutor revmi. episcopi S. Pauli de Minnesota; Apollonius Maggio dioec. Vicentiae, episcopus tit. Sistren.; Augustinus Cattaneo, vicarius generalis Cremen., episcopus Guastallen.; Ioannes Nilan dioec. Bostonien., episcopus Hartfortien; Petrus Zanolini, in Seminario Patavino theologiae moralis doctor, episcopus Fabrianen. et Mathelicens. renunciantur.

— Rmus. d. Iosephus Schulte, dioeces. Paderbonen. episcopus Paderbonensis confirmatur.

— Illmo. et revmo. v. Beda Cardinale episcopo Cornetan. ad sedem tit. Laodicensem translato et in coadiutorem revmi. episcopi Perusini deputato, ad ipsam sedem Cornetanam et Centumcellarum administrator Apostolicus mittitur r. v. Humbertus Fiodo, domus Pont. Max. Antistes.

— Laurentius Lauri, in collegio de Propaganda Fide doctor, substitutus dicitur Cancellarium Apostolicam regentis.

— Purpuratus Pater Marianus Rampolla del Tindaro Romanae Academiae a S. Thoma Aquinate praeficitur.

— Exemus. vir Dominicus Taccone Gallucci, archiepiscopus Costantien., inter Consultores Pontificiae Commissionis ad ius canonicum in unum corpus redigendum adlegitur.



ANNALES

Borussici motus.

Germania, atque praesertim Borussia, factum insolitum his diebus vidit; populum scilicet in tumultus procedentem. Causa, rogatio legis fuit de comitorum ratione innovanda. Quae quidem, quum iamdiu sollemniter in regia oratione promissa ut latissima esset; re autem in eam condicionem produceretur, quae fabulam parturientis montis in mentem facile revocaret, optimam praebuit socialistis occasionem plebis animos inflammandi, quae pluribus in urbibus (Berolini, Halle, Koenigsberg, Duisburg, Neumuenster) ac praesertim Francfurti tam insolenter sese extulit, ut vim vi repellere necesse fuerit. Proculdubio administratorum collegium motibus hisce minime solvetur; at certum est pariter, indicia haud satis tranquilli status haec esse, eumque ad auferendum inveniri compromissum aliquod oportere.

Cretensis quaestio.

Cretensium contra aestuatio, a civitatibus insulae quasi tutelam gerentibus ad eorum gubernium datis monitorii litteris, statim deferbuit; neque de legatis Athenas mittendis verbum aliud dictum est. Interim in Graecia coetus « constituens » ad Septembrem mensem edicitur iri convocatum. Tum fortasse militare foedus resolvetur; hucusque enim nullum id faciendi argumentum obtulit; imo vero arrogantiae suae nova specimina.

Quod ad Turcarum imperium attinet, id ut ad diverticulum aliquod procederet, in Bulgarorum finibus velitationes instituit.

Ex infima America.

Dum Brasiliensis civitas Hermetem de Fonseca, castrorum praefectum, magnis suffragiis Praesidem sibi eligit, Panamensis reipublicae Praeses Obaldia vita fungitur, atque Mendoza, alter a Praeside, imperium pro tempore assumit.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** regali oratione publici novi coetus sessiones inchoatae. Rogatio legis edicitur ad tutanda ipsius coetus iura, eaque cum exceptione statuenda circa res quae ad aerarium spectant.

In **Austria** de militum delectu disceptatio incopta.

In **Gallia** rationibus acceptorum et expensarum absolutis, nova comitia parantur.

In **Germania** Udo Stolberg, coetus praesidi, vita functo, Schwerin Comes suffectus.

In **Hispania** populi legatorum coetus dimissus.

In **Hungaria** Ioannes Zichy Comes publicae institutioni atque cultui praefectus est.

In **Russia** damna ob recens bellum ab aerario contracta, discussa tandem nunciantur.

PER ORBEM

Die I mensis Februarii MXCX, Michael Martins de Antas, Lusitaniae legatus apud Apostolicam Sedem, Romae obit senectute confectus.

— d. III orientalis Asiae explorator Sven Hedin itinera sua magno cum plausu Romae pubblice narrat.

— d. V Effon, seditiosa illa Russorum foemina, Lutetiae Parisiorum sibi mortem consciscit.

— d. VI, Lutetiae Parisiorum pariter, Edmundi Rostand, Gallici poetae clarissimi, novum drama, cui titulus *Chantecler*, diu exspectatum, primum agitur.

— d. IX Angelus Maiorana doctor, Italici iam praefectus aerarii, iuvenis adhuc - natus enim erat die IX mens. Decembris MDCCCLXII, - Catanae in patria fato concedit.

Apud Maioricam insulam vectoria Gallica navis *Général Chanzy* naufragium improvisum facit. Ex viatoribus centum et quinquaginta novem, unus tantum sospes evadit.

— d. X Madriti vita fungitur De Tattenbach Comes, Germanorum apud Hispanos administer.

— d. XI Ioannes Baptista Charcot ab altero in australes terras itinere redux, ad Arenas promontorium appellit.

— d. XVI Aprutiorum Dux, e Sabaudica gente princeps, de peragratis a se ob scientiae amorem Karacorum montibus Augustae Taurinorum civibus refert in theatro, cui a Victorio Emanuele rege nomen.

Budapestini obit Samuel Ronna, dermatologiae doctor paeclarus.

— d. XIX a Cardiff doctore recognitus dicitur omnibus hucusque ignotus cometes, et a Curie phi-

sices magistra, quae cum marito, iam annum vita functo, *radium* invenerat, nunc elementum novum a quibusdam metallis esse tractum, ob agentes dotes sibi proprias *radio* potentius, quod *polonium* vocavit.

— d. xx, Cairo in urbe, Bontros Pacha Ghali, administratorum praeses, nefarie a scelesto iuvene interimitur.

— d. xxiv, Florentiae, Hugo De Lerry, Germanicus pictor eximius, se ipsum misere interimit.

LIBRORUM RECENSIO

JOSEPH LAHITTON, chanoine honoraire, docteur en théologie, professeur de dogme et d'histoire ecclésiastique. — *La Vocation sacerdotale*. Traité théorique et pratique des séminaires et des recruteurs de prêtres. — (Paris, Lethielleux).

Ad ceteras huius libri summas utilitates haec quoque opportunitas adiungatur, quod eius editio in id ipsum tempus inciderit, quo omnes fere catholicorum Antistites plurimum habeant sollicitudinis et negotii ad idoneos Ecclesiae ministros diligendos; qua quidem in re quo maior est eorum, qui in sortem Domini vocati sunt, nobilitas et excellentia, eo vigilantius cavendum, ne huius tanti officii onus cuiquam temere imponatur. Primo igitur auctor inquirit studiose, quinam divinitus ad sacerdotium ministeriaque Ecclesiastica vocari censemantur. Quam ob rem, Catechismo Romano fretus, incredibilis quasdam falsasque opiniones neenon quibusdam locis penitus vel Christifidelium animis insitas, evellere conatur eamque ex sacrosaneti concilii Tridentini doctrina optimam statuit esse iudicandi regulam, quinam haud perperam ad ordines sacros accendant, eos a Deo vocatos dici, qui a legitimis Ecclesiae ministris vocentur. *Spiritus* quidem, ubi vult, spirat estque aliquid profecto animos quorumdam ad rerum divinarum studium et contemplationem natura impelli; sed quoniam pacto evincetur hoc potissimum indicio divinam semper electionem patefieri? Num quando ipse Spiritus Sanctus ita se unicuique ad futurum promisit? Haec certe nova est in Ecclesia Dei opinio, nec quidquam tale vel Concilia vel Patres vel Doctores tradidere. — Tum auctor docet, quid agere quidve spectare debeant, quotquot sive in interno, ut aiunt, sive in externo foro aut eos admonent, qui sacris iniciari volunt, aut de illis sententiam suam dicunt. Haec si, quorum maxime interest, et recte cognorint et constanter fecerint, aut nunquam aut perraro fiet, ut quis nisi ostio in Ecclesiam introeat, id est nisi a Deo legitime vocatus Ecclesiastica munera suscipiat.

E. C.

A. FARGES. *La Libertà e il dovere*. Versione sulla IV edizione francese del can. C. Boni. — Edid. Senis officina libraria S. Bernardini, 1909.

Albertus Farget propugnator eximius est christianaee illius philosophiae, quae doctrinam et vitam nostris diebus renovabit, pacemque animis veritatem sitientibus resti-

tuet. Qui quum septem voluminibus de «realismo philosophico» iudex competentissimus disputasset, octavo hoc in campum ethicae theisticae prodit atque opportuna rationis novitate solidisque argumentis christianaee philosophiae certitudinem in quaestionibus etiam circa mores solvendis luculentissime vindicat; quum ex adverso demonstret scholas omnes philosophicas extra eam impares omnino fuisse doctrinae morum super fundamento immutabili, efficaci exque omni parte absoluto constitutae. Ex quibus facile deducitur maximi momenti hoc opus esse, quod lectoribus nostris libenter commendamus.

P. A. GARDEIL O. P. *Le dogme révélé et la théologie*. — Edid. Lutetiae Parisiorum Lecoffre, 1909. (Ven. lib. 3,50).

Clarissimi Dominiciani istius doctoris proprium est optime atque perspicue exponere quae intellectu difficultima videntur, atque scite profundaque analysi ab insectatoribus veritates defendere, quae necessaria pars fidei nostrae sunt. Quae quidem laudes novissimo et huic operi tribuendae, quod gravissimum tributum afferat ad studium finium illorum, qui inter philosophiam ac theologiam intercedunt, de quibus nostris praesertim diebus tam acriter disceptatum est atque disceptatur.

E. TISSERANT. *Ascension d'Isaie*. Traduction de la version éthiopienne. — Lutetiae Parisiorum apud Letouzey et Ané.

Libri apocryphi de Ascensione Isaiae novam hanc Gallicam versionem auctor comparavit, ut christianarum originum historicis adiumento foret, quum in eo notitiae et de martyrio B. Petri, de Ecclesia, de ultimorum temporum exspectatione, de doctrina Incarnationis atque Trinitatis inveniantur. Versioni historicae notae praecedunt; sequitur graeca narratio illa fabulosa, quae, ab O. von Iethardt primum vulgata, pro certo a textu aethiopico Ascensionis Isaiae manavit. Nec desunt relata ad Dillmanni et Charlesii editiones, acutaeque animadversiones, quae magis magisque opus probabile reddunt.

A. MASI. *De virtute Fidei, cum prolegomeno de virtutibus in genere et oboedientia ecclesiae debita*. — Edid. Augustae Taurin. off. Marietti, 1909.

Doctrinae securitas atque argumentorum lata cognitio dotes sunt, quae in hoc opere Seminarii Bellunensis doctoris maxime eluent. Non vero ob eas tantum tironibus — quibus maxime scriptus est liber commendatur, sed etiam ob refutatos errores quibus Fidei virtutem infensi ecclesiae homines hodie passim aggrediuntur.

F. E. GIGOT. *Compendio di storia del Nuovo Testamento*. Traduzione italiana di F. B. C. M. — Romae edid. Ferrari, 1910, (Ven. lib. 3,50).

Neoeboracensis doctoris in hoc opere concinnando mens fuit, ut historica elementa ex scriptis Novi Testamenti desumpta in ordinem redigeret, non quidem ut sacrum textum substitueret, sed quo eius sensum ad facilius cognoscendum induceret. Id autem sobrie, perspicue satis ac diligenter exequutus est, quamquam passim fortasse verborum vis, in quibusdam praesertim affirmationibus, ultra modum excessit. Hisce cautelis liber non

a theologiae studiosis tantum sed a quovis biblicarum rerum amatore cum utilitate recipi potest. Italica versio laudanda est.

E. BODRERO. *Eraclito. Testimonianze e frammenti.* — Edid. Fr. Bocca, Augustae Taurin., 1909. — (Ven. lib. 4).

Parvo in hoc volumine Heracliti fragmenta quae supersunt, sive authentica sunt, sive dubia aut adulterina epistolaeque pseudo-heracliteae continentur. Adde de Graeco illo philosopho antiqua testimonia et praesoeritiae doctrinae specimen, et prooemium, quod, candide fatemur, curae quacum opus confectum est minime respondere nobis videtur. Vitium hoc si excepferis, liber diuturni laboris fructus appetet, neque ceteris, quos de Graecis cogitationibus (*Il pensiero greco*) editor Taurinensis vulgavit indignus.

J. UDE. *Der Darwinismus und sein Einfluss auf das moderne Geistesleben.* — Graz und Wien, «Styria», 1909.

Opusculum et hoc, pag. 172 constans, ob «Darwianum iubilaeum» editum est. In prima eius parte Darwinii figura, ut ita dicam, instruitur; in altera, eius doctrina de humana stirpe et naturali selectione studiose perpenditur: in tertia denique nefastus influxus Darwini in religionem, in psychologiam, in mores ostenditur.

Haec scribens Ude Wasmanii doctrinae de polyphlogenese assentiri videtur.

LOCI.

Iter faciebat mercator ditissimus, quem comitabatur famulus, genere Aethiops. Hic noctu quum pervenisset in oppidum quoddam, ad cauponem divertit, cui secundum coenam edixit, ne sineret ipsum ad multum diem quiescere. Deinde ubi cubitum discessit, statim illum via fessum, arctior, quam solebat, somnus complexus est. Tum nactus opportunitatem iuvenis quidam e plebecula inficitissimus, risus amicis eliciendi, sumpsit illud sibi, ut dormientis os nigro colore inficeret. Caupo, albescente caelo, quod iussus, fecit. Expergefactus igitur mercator, antequam lotione uteatur, recta perrexit ad speculum, in quo os atratum intuitus, questus est de caupone quod heri loco Aethiopem, illius famulum, somno excitasset!

**

Attubolus ob furta patrata in ius vocatur. Quum vero eius defensionem suscepisset Hortensius, actor summus caesarum, a culpa abesse indicatus est atque omni poena liberatus. Itaque victoriam inclamans homo integer vitae scelerisque purus, non dubitavit ab Hortensio petere, uti se in famulatum adsciseret. At ille: — «Apoge te, — inquit, — nec enim quisquam, nisi insanierit, furem suam in domum admittet». Haec ubi audivit cliens, amarulento risu percontatus est defensorem: — «Tune idem es, qui modo tam bene mihi dixisti?»

**

Paterculus magisterio fungens in schola primordiorum prima, puellum ceteris segniorem ad discendum executere si posset, quum multis artibus, tum allato sui ipse exemplo co-

natus est. — «Ego, Caire, quum eadem, qua tu, essem aetate, librum repente oculis meis subiectum cursim, ut aiunt, legebam non secus atque antea evolvissem». Ad haec candide puillus: — «Fuerit sane quod dicas; tamen arbitror te usum esse praeceptore magis quam meus est, idoneo».

TITUS CURZIUS.

EPISTOLARUM COMMERCII

Cl. v. PAULO R.... *Auximum.* — Ob carmina tanta cum humanitate ad me missa gratias refero et habeo. Antequam vero edere possimus aliquantum exspectabis: susceptis enim antea oneribus satisfaciendum est.

Cl. v. VALENTINO B.... *Tarcisium.* — Ex iis quae Paulo R. superius diximus, facile tibi erit petitam responcionem deducere.

Cl. v. BENEDICTO G.... *Ad Calagurrim.* — Tibi mōrem gerere in proximo numero studebimus.

Cl. v. CAROLO F.... *Noriodunum.* — Spatio omnino deficiente, Helveticas tuas litteras edere nequivimus. Sufficiat igitur de illo viro mentio, quam in superiore numero fecimus.

A SECRETIS.

AENIGMATA

I.

*Parte priore rogare soles; sed parte secunda
Monstrare aut lentam carpere segnitiem.
Utraque mista quid est? Divi suprema voluntas,
Quae regit et terras, et regit astra poli.*

II.

*Te certum maneo, frustra fugis, imo propinquas,
Visentes olim fata docebo tua.*

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI. Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

*Aloisii Clasii lusus pastorales.
(Latine vertit IOANNES BATTANI).*

Aenigmata an. XII, n. XII proposita his respondent:

1) Os-iris; 2) Do-mus

Ea rite soluta miserunt:

F. Arnori; A. Tonelli, *Meditano* — Petrus Tergestinus — Guilelmus Schenz, *Ratisbona* — P. Antonino dalla Venezia, *Venetiis* — Alois, Capelli; G. Giani, *Senis* — Alex. Pintauro; F. Starace, *Neapoli* — I. Wabner, *Varsavia Polonorum* — Lucius Rhactus, *Bucarestino* — I. Ciolfi, *Papia* — Alex. Fásztusz, *Szatmar* — Eug. Dólmár, *Chicagino* — M. Scarpini, *Roma* — Ant. Masia, *Tarragona* — Alb. Catteau, *Lugduno* — Iac. Ménendez, *Madrilo* — Alb. Kain; Ant. Whiteside, *Dublino* — Fr. Guerra, *Aletio* — Iac. Fernandez, *Mexico* — Rich. Müller, *Berolino* — Raim. Silvan, *Londino* — Rich. Brondel, *Brugis* — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum* — Lud. Dabois, *Massilia* — Mart. Dunne, *No Eboraco* — F. Correa, *Emerita* — Clem. Fiard, *Curia Rhaetorum* — Arch. Magliano, *Genua* — I. Ortiz, *Morelia* — Lud. Goux, *Bituricis* — I. Costa, *Dumio* — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio* — Ios. Martins, *Philadelphia* — Iac. Cordara, *Parentio* — Nic. Lagumina, *Panormo*.

Sortitus est praemium:

FRANCISCUS CORREA,

ad quem missa est I. B. FRANCESIA actio dramatica, versibus senariis conscripta, cui titulus:

TARCISIUS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Romanae Editricis.

ARRAE GORGONIAE

(Cfr. num. sup.)



— Litteras habes?

— Habeo — volumenque e sago protulit — sed Caelio tantum tradendas.

Volumen inspexit decurio, quumque vidisset integris vittis ac signis undique munitum :

— Eamus ad legatum — paecepit.

— Bene est — addidit eques — at obsecro, ut Pegasum meum tuis militibus curandum committas, donec ego regrediar.

— Audistine, Scaure? — ita decurio ad militem, qui facem gestabat — vulnus donec redeamus aqua saltem collinies: iamque trade faculam; tuque, eques, sequere.

Tum, alias alium sequutus, inter media equitatus tentoria ad praetorium processerunt. Stabant hinc inde vivo quasi aggere alarum e qui funibus devineti. Inde unus aut alter, quamvis somno oppimeretur, praetereuntium strepitu excitabatur atque oculos reserbat: modo subita taedae luce percussus, claudebat iterum, terramque inquieto pede scalpens, abeuntes micanti pupilla longius sequebatur.

Pervenerunt milites ad praetorii custodiam; dataque tessera redditaque, centurio ex iis, qui rogum circum-sedebant, surrexit, adventum decurionis sciscitavit compertaque rei causa, equitem ad legati tentorium adduxit. Tunc vero foris eum sistere iubens, ut rem nunciaret, ingreditur; momentoque post audita est Caecilii vox imperantis:

— Eques, adeas.

Qui ingressus est statim et ipse cito pede, ac de-misso manu osculo legatum salutans, volumen laeva obtulit. Quumque legatus, ut illud acciperet, vultum manumque extulisset, conspicere illum equiti licuit. Erat viri adspectus rudis: vultus diu acta militia fatigatus, sole adustus, rigidum supercilium, et quamvis haud procero ferme corpore, latis tamen humeris turgidisque lacertis pugnacis corporis vires oculos percellebant. Qui, dum centurio egreditur, iterum in castrensi lectulo sedet, ut oblatis litteras legeret, ac simul volumen a se abiecit, cuius iuveni legere tituli prima verba vix datum est: *Periclis orationes...*

— Philosophum ducem habemus — tunc secum ipse mussitavit — dedatque Pallas armipotens parem sapientiae virtutem.

Interea Caecilius volumen evolverat illudque geminatum inveniens alterum depositus, alterum legit statim.

Huius vero in lectura quo ulterius progrediebatur, eo subridentior vultu fiebat, oculosque saepe attollens, stantem coram se equitem perscrutabatur. Illustrabat enim iuvenem adversae lucernae lumen, nitebantque audax licet subfuscus vultus, nigri oculi, nigrique capilli. Barbae vix primus pubescebat flos in genis, sed statura corporis procera, valentia membra et agilia per-

spiebantur. A galea vero loricaque usque ad gladium ibericum atque tibialia summa cura perpolita singula arma emicabant, at laevum femur sanguinis guttulae madefaciebant; attamen ex omni habitu quaedam nota superbiae, romani equitis propriae, eminebat.

Indicia huiusmodi pleraque Caecilius, qui erat viros perserutari peritus, facile animadvertisit, at tandem, dum ultimum voluminis cineillum evolvit, aureum quid, abditum ibi involutumque, inopinato vidi, arripuit, admovit ad lumen, curioseque hinc inde inspexit.

Tunc oculos in iuvenem, qui rem vix notaverat, figens:

— Insperati, hercle, eventus advenisti nuncius, — ait; deinde aliquantum moratus:

— Qui vocaris? — rogavit.

— Marcus Atilius Vibenna — firma voce ille remisit, quippe qui nunciorum, quae attulisset, nulla curiositate teneretur.

— Memini — perrexit simulata incuria legatus — Vibennam patrem tuum nobis cum Marci Bruti copiis ad Philippos vulneratum, at post cladem nullibi ei occurri.

— Obiit namque — tum ille terram intuens — vulneribus rursus hiantibus paulo post in Campanis.

— Audio; at Plautilla Scribonia mater?

— Mater? — tunc ille, contracto tristi memoria supercilio pia voce docuit. — Mater quoque superiore anno rure mortua, paulo ante quam miles conserverer.

— Equis tibi nunc praefectus?

— Aulus Aufidius Coruncanius.

— Benevolus ne?

— Haud supra quam decet, legate.

— Ecce te igitur, — addidit quasi haerens animo Caecilius, — ad me misit, qui patris tui hoc tibi donum traderem?

Quae dum recitat, aureum illud, quod mox repererat, dextera porrexit.

Tenuit Atilius; at vix proprius admovit oculis, pallore novo novoque stupore percussus stetit. Armilla erat taeniae ad instar aureis contexta ansulis ac purpureo distincta coralio, ex quo pala quoque efficta fimbriae adfixa, quae Medusaeum caput tam miro artificio insculptum habebat, ut micare oculos et anguineos vibrare dixeris capillos.

Pallescentem severe redarguit legatus:

— Mulierculam libens credam, eques, quem tam pavidum video ut prorsus dicam omni virtute destitutum, quae romanum militem et facere et pati fortia iubet.

(*Ad proximum numerum.*)

I. A. COSTAGGINI.